VARIETATEM INTERPRETATIONIS LOCORVM QVORVMDAM DIFFICILIORVM IN CARMINIBVS HOMERI

PRAESIDE

FRIDERICO AVGVSTO WIDEBVRG

PHILOSOPHIAE D. ET PROFESSORE PVBL. ORD.
DVCALIS INSTITVTI PHILOLOGICO - PAEDAGOGICI
DIRECTORE

A. D. XVIIII IVLII A. R. S. CIƆIƆCCLXXXVI

AD DISPVTATIONEM

PROPONET

AVCTOR

GEORGIVS ANTONIVS CHRISTOPHORVS SCHEFFLER
DVCALIS INSTITVTI PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI
COLLABORATOR.

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

AB

ALTERA PARTE STABVNT

NOBILISS. IO. HENRICVS SEIDENSTVCKER, SCHWARZB.
SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI COLLEGA
ET IN PAEDAGOGIO PRAECEPTOR
ORDINARIVS.

— IO. ANTON. LVDOV. SEIDENSTICKER, HANNOV.
SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI
COLLEGA.

— IO. IVLIVS BENEDICTVS PABST, BRVNOVIC.
SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI COLLEGA
ET IN PAEDAGOGIO PRAECEPTOR
ORDINARIVS.

Quamquam inter ceteras, quae in carminibus Homeri ſplendent, virtutes perſpicuitas potiſſimum laudari debet, eoque igitur maiorem vituperationem illi merent, qui ambiguitates, vbi nullae ſunt, ſaepius quaeſiuerunt; negari tamen nequit, paſſim loca exſtare, quae dubia et obſcura eſſe fateri nos oporteat. Nec mirum hoc vlli videbitur, qui vetuſtatem variaque fata horum ſcriptorum conſideret. Protulit autem, vt fit, iſta obſcuritas multam diſſenſionem interpretum de locis illis, dum alius aliam explicandi rationem ſequendam eſſe iudicabat, ac ſuam quiſque ſententiam maxime commendabilem reddere ſtudebat. Quas diſcrepantes eruditorum opiniones cognoſcere atque examinare, omnibus carmina diuini illius poetae diligentius perlecturis non ſolum vtile, ſed etiam nonnunquam haud iniucundum erit.

Itaque cum mihi et in Paedagogio publico carmina haec interpretari, et in Seminario philologico, quoniam leges inſtituti huius hoc interdum fieri iuberent, aliquid conſcribere, de quo palam diſputaretur, demandatum eſſet; neutri officio alienum duxi, de aliquot locis difficilioribus in poematibus Homeri quaedam diſſerere. Atque hoc ita in-

 ſtitui,

ſtitui, vt primum in medium proferrem varias ſententias celeberrimorum interpretum, tum, quaenam explicandi ratio veriſimillima mihi viſa ſit, paucis declararem. Quae ſi tenuis opella diligentiam meam in carminibus his explicandis ex muneris officio nunc poſitam aequis lectoribus non improbauerit, valde laetabor.



Adnotatio I.

ILIAD. Δ', 306 et 307.

Ὀς δε κ' ανηρ απο ὡν οχεων, ἑτερ' ἁρμαθ' ἱκηται,
Εγχει ορεξασθω.

Multum' ſuper hoc loco interpretes diſputarunt, variaſque explicandi rationes protulerunt, quarum ſuis quaeque difficultatibus laborat. Euſtathio verba illa quadruplicem ſenſum admittere videntur. Et *primum* quidem hunc: Quicunque a curru ſuo ad Troianorum alicuius currum venerit, h. e., currum hoſtilem bello ceperit, caueat, ne tempus in eo terat, vt ſpolio gauiſus currum hunc ad tentorium deducat, ſed pergat, cum hoſtibus dimicare. a) Reiicit

a) Ειτις ἁρματος πολεμιου κρατησει, μη αφικεσθητω, ἱνα τυχον και εις τας νηας καταγη το κρατηθεν, αλλα εγχει παλιν πολεματω, ἱνα και το πλεον κατορθωση. *Euſtath.*

licit Clarkius hanc explicationem, et merito quidem. Neque enim verba ἀπο ὧν ὀχεών ἑτερ᾽ ἅρμαθ᾽ ἵκηται verti possunt: Currum hostilem ceperit; neque verisimile est, Homerum rationem istam, *ne in abducendo curru moraretur*, quae, si vera esset illa explicatio, subaudienda foret, penitus reticuisse.

Secunda explicatio eiusdem Eustathii haec est: Si quis curru suo excussus Graeci alicuius currum conscenderit, hunc dirigere ne cupiat, quoniam equi iussis aurigae alieni haud facile obtemperent, sed hoc alteri committens ipse hasta porrecta pugnet. b) Hanc secuti sunt Popius c) et Bodmerus d). Ille, praeeunte Eustathio, ad exemplum

b) Ειτις απ᾽ ἅρματα τε πλησιε Ἕλληνος ανεβη ὡς η εκπεσων τα οικεια η αλλως κατα τινα χρειαν, εγχει ορεξασθω· τετεστιν εγχος εκτεινατω. — παραταξασθω γαρ φησι και αμυνετω. και μη ἡνιοχειτω· ἱνα μη τη αγνοια της των αλλοτριων ἱππων συνηθειας βλαπτη μαλλον του βοηθουμενον. *Eustath.*

c) He whom the fortune of the field shall cast
From forth his chariot, mount the next in haste
Nor seek unpractis'd to direct the car,
Content with jav'lins to provoke the war.

Pope.

d) Koemmt es, dass einer von euch auf seinen Wagen noch einen
Zu sich nimmt, so lasse dann der den Zuegel dem ersten,
Aber er selbst begnuege daran sich, den Wurfspiess zu
schwingen.

Bodmer.



Pandari e) prouocat, quod autem, ad probandum id, cuius caufa laudatur, neutiquam fufficit. Siquidem, fi hoc fibi voluiffet poeta, itidem rationem iftam, *ne cupiat flectere equos fibi non fatis cognitos*, addere omnino debuiffet.

III. Si quis e curru fuo excuffus commilitonum alicuius confcendere velit, is, qui in curru eft, adiuuet eum porrecta hafta, vt adfcendere poffit. f) Huic interpretationi, vt Clarkius recte monet, repugnat, quod *το εγχει ορεξασθαι* non dicitur de amico, fed de hofte. Probant hoc plura exempla a viro docto laudata. Tum quoque minus apte cohaerent verba fequentia, *επειη πολυ φερτερον ȣτως*.

IIII. Quicunque curru fuo relicto in alium confugere velit, hunc ille, qui in curru eft, hafta porrecta repellat, ne fcilicet vllus currum fuum deferat, neue alter a dimicando impediatur. g) Hanc explicandi rationem amplexi funt Clarkius et Illuftriff. Comes de Stollberg h).

Erne-

e) Iliad. ί, 230. ff.

f) *Αλλοι δε και ὅτω νοȣσι το τȣ Νεςορος παραγγελμα· ατις το οικειον αφεις εις ἕτερον ὁμοεθνȣς ἅρμα ελθοι, δορυ εκεινος ὁ ἕτερος ανωθεν ορεξασθω, και εκτεινας αυτο, ανακομισατω επι σωτηρια εις το ιδιον ἅρμα τον εις αυτον ελθοντα.* Euftath.

g) *Κατα δε ἑτερȣς, εκεινος ὁ ἕτερος ὁμοεθνης ὁ το ἅρμα εχων, εγχος εκτεινας, παταξατω τον τοιȣτον, ἵνα δηλαδη μηδεις τον ιδιον αφη ἅρμα, φοβῳ τȣ ὑπο τȣ συμφυλετȣ τρωθηναι και πεσειν.* Euftath.

h) Stuerzet einer vom Wagen, und will einen andern befteigen; Gegen diefen die Lanze gekehrt! *Stollberg.*



Erneftius aliam, ab illis quatuor prolatis diuerfam dedit interpretationem hanc: "*Si quis e curru excuffus, ad alium fe recipere velit, is* potius (repulfus fcil. vel repellendus) *pugnet hafta pedes*, quam vt alium currum confcendens, ei, qui in curru eft, impedimento fit." Adfentitur ei Ven. Niemeyerus. Mihi difplicet haec ratio. Argumentum enim, quo ad confirmandam fuam fententiam, Erneftius vtitur, ορεξασθαι nempe de eo dici, qui pedes hafta pugnet, non fatis idoneum exiftimo. Occurrit quidem illud verbum de pugna pedeftri Il. ε', 335. et ψ', 805, ad quos locos Erneftius prouocat, fed nimium inde colligere videtur, fi de peditibus tantum id vfurpari credat.

Nouiffime locum noftrum explicauit Ill. *Heynius* in differtatione: *De acie Homerica.* i) Ex cuius fententia Neftor hoc fibi vult, vt "cum ad hoftem peruentum fit, ita vt in curru hoftili ftantem telis attingere poffint, *hafta eum de curru petant*, adeoque non defiliant nec pedites pugnent." Refert igitur verba απο ὧν οχεων non ad ἱκηται fed ad ορεξασθω· Mihi quidem, tanti viri iudicium lubentiffime fequenti, hic tamen verborum ordo nimis contortus et a confuetudine Homeri omnino alienus videtur.

Ex omnibus igitur, quas memoraui, eruditorum fententiis quartam Euftathianam maxime probo, vtpote quae et verbis accommodata eft, et fenfum exhibet cum ferie et

con-

i) Vid. Commentation. focietat. reg. fcient. Gotting. T. VI, pag. 145.



confilio totius loci omnino congruentem. Monet quidem contra eam Erneftius, illud εγχει ορεξάσθω non effe, *hasta repellatur*, fed *repellat*, neque referri ad eum, qui in curru fit, fed ad eum, qui de curru fuo excuffus alium confcendere cupiat. At tolli poteft haec difficultas, fi poft εσεσθε v. 305 punctum deleatur. Ita enim το εγχει ορεξασθω penderet a τις v. 303, igiturque effet, quod Erneftius vult, *hasta repellat*. Senfus vero prodiret talis: *Caueat quisque, ne folus pugnare cupiat; — qui autem fuo curru relicto ad alium venerit, hunc hasta repellat is, in cuius currum confugere tentet.*

Quodfi tamen vel fic loci quaedam ambiguitas remanere videatur; equidem cum Popio et Clarkio eam non Homero, fed nobis et linguae et rei militaris graecae minus fcientibus effe tribuendam, minime vero, tamquam exquifitam cum Euftathio et Dacieria vehementer laudandam exiftimem.

ADNOTATIO II.

ILIAD. Ε', 743 et 744.

Κρατι δ' επ' αμφιφαλον κυνεην θετο τετραφαληρον,
Χρυσειην, ἑκατον πολεων πρυλεεσσ' αραρυιαν.

Haud dubie eorum, qui carmina Homeri ftudiofe legerint, nemo ignorat, quam varias coniecturas de hac galeae Mineruae defcriptione protulerint viri eruditi tam veteris, quam noftrae aetatis.

Eufta-



Euſtathius duplicem interpretandi viam oſtendit, ita ſcilicet, vt *κυνεη ἑκατ. πολ. πρυλ. ἀραρυια vel* galea ſit, qua pedites centum vrbium tegi poſſent, *vel* ea, quae tot peditum caelatis imaginibus condecorata eſſet. a) Hanc poſteriorem explicationem, quae ex comparatione cum aegide proxime deſcripta exorta videtur, omnes, quos ſciam, critici recentiores vt nimis longe repetitam merito repudiauerunt. Priorem illam amplexi ſunt plerique omnes, Daceria, Popius, b) Bodmerus, c) Illuſtriſſ. Comes de Stollberg

a) Ὁρα ὡς μεγιστην κατα μυθον πλαττει την ῥηθεισαν κυνεην, ειγε τοσουτων (εκατον) πολεων ὁπλιτας καλυπτειν και σκεπειν ηδυνατο. --- τινες δε φασιν, ὁτι ἑκατον πολεων ὁπλιτας ειχεν εντετυπωμενους. *Euſtath.* Fuerunt etiam, teſte eodem, qui imagines iſtas militum galea caelatas de Corybantibus Cretenſibus intelligerent. Τινες δε, ait, το ἑκατον πολεων πρυλεεσσ' αραρυιαν ὁυτως εφρασαν· ἑκατον πολεων κρισεις εχουσαν, η κεκοσμενην τοις της Κρητης ὁπλιταις, τουτεστι τα των Κορυβαντων εργα εχουσαν εντετυπωμενα· ὁτι δε ἑκατομπολις ἡ Κρητη και εν Οδυσσεια (rectius, Ιλιαδ. β', 649; nam in Odyſſ. τ', 174 εννηκοντα ποληες laudantur.) δηλουται· ὡς δε και Κρητες οἱ Κορυβαντες, δηλον και αυτο. Quam ridicule, quisque videt.

b) *Popius* vertit:

The maſſy golden helm ſhe next aſſumes,
That dreadful nods with four o'erſhading plumes,
So vaſt, the broad circumference contains
A hundred armies on a hundred plains.

In nota ad h. l. duplicem memorat Euſtathii explicationem, incertus, vtra ſit vera, quamquam priorem veriſimiliorem putat. *That idea*, inquit, *is greater and more extraordinary, indeed more agreeable to Homer's bold manner, and*

not



berg d) et ille, quo nemo facile unquam fuit magis idoneus recti pulchrique iudex, Leſſingius, magnum ac ſempiternum decus Germaniae. e)

Attamen b. Erneſtius ideam illam nimis hyperbolicam exiſtimaſſe videtur. Quare aliam propoſuit interpretationem, quae verba illa Homeri non de magnitudine, ſed firmitate galeae capit ac ſenſum ita ſiſtit: Pallas capiti impoſuit galeam "*aduerſus centum vrbium exercitus ſuffecturam*, nedum aduerſus Troianos, nulla vi humana laedendam aut comminuendam." f)

Poſtremo, S. V. Herderus, qui in libro theodiſce ſcripto, cui titulus eſt: *Siluae criticae*, de noſtro loco quaedam differit, g) neque de magnitudine neque de firmitate ſermonem eſſe cenſet, ſed de pondere galeae, quae ſcilicet adeo grauis

not extravagant, if we call in the allegory to our aſſiſtance, and imagine it (with M. Dacier) an alluſion to the Providence of God, that extends over all the Univerſe. Quae de allegoria opinatur, diſplicent.

c) — Die Maenner von hundert Staedten
Waeren darunter geſchuetzt geſtanden. *Bodmer.*

d) Pallas Haupt bedeckte der Helm mit wehenden Bueſchen,
Golden und groſs, als deckt er von hundert Staedten die Schaaren.
Stollberg.

e) Vid. Laokoon. pag. 135 et 136.

f) Cum Erneſtio facit Cl. Seyboldus in compend. mytholog. pag. 78.

g) Erſtes Waeldchen pag. 178 -- 181.

uis fuiſſet, vt milites e centum vrbibus collecti vix ſuſtinere eam ac geſtare potuiſſent.

Opiniones igitur doctiſſimorum virorum ſuper illo loco cum tam variae ſint, tamque inter ſe diſſidentes, arrogans videri poſſem, ſi vnam tamquam *ſolam veram* conſtituere vellem. *Veri* tamen *ſimillimam* priorem Euſtathii duco, eam nempe, quae το ἑκατ. πολ. πρυλ. αραρ. de galea accipit adeo magna, vt milites centum vrbium operire potuiſſet. Nam primum haec explicandi ratio accommodatiſſima eſt ſingulis verbis textus graeci, praecipue τῳ αραρυιαν; etſi minime me fugit, hoc verbum tam lato ac vago ſenſu vſurpari, vt modo ſic modo aliter explicari et verti debeat. Tum, eadem talis eſt, vt nullus dubitem, quin lectori, iſtis criticorum diſſenſionibus nondum perturbato, ſtatim ſe oblatura ſit; — Erneſtii contra et Herderi ſententiae iuſto longius petitae mihi videntur. Praeterea minuunt hae, ni fallor, grauitatem ac ſublimitatem deſcriptionis, illa maieſtati, quam Homerus diis ſuis tribuit, maxime conuenit. Etenim poeta, cum Achillem, Hectorem, Aiacem Telamonium, Diomedem alioſque duces viribus paene diuinis praeditos depingeret, diis virtutes etiam maiores reſeruare debebat, ne, illos admirantes, hos negligeremus, ſed vt iis ſemper praeſtaremus ſummam reuerentiam. Hinc velocitate atque fortitudine (has duas enim praecipuas eſſe laudes heroum Homericorum nemo neſcit) omnes mortales quam maxime ab iis ſuperantur, imo fere ſemper in dimicationibus periculo-



fissimis adiuuantur. Effingit autem Homerus deos suos non ita, vt numen eorum cogitatione tantum percipiatur, sed etiam sensu. Videmus eos, corporibus instar hominum praeditos ante oculos nostros versari, inceptorumque mortalium socios sese praebere. Attamen haec corpora, quoniam etiam in hac re deos hominibus antecellere par erat, humanis firmitate, viribus ac magnitudine praestantiora h) fecit poeta, et quidem vario modo graduque, prout vnumquemque deorum decebat. In aliis enim magnitudo paullum tantum praestat humanae, in aliis vero adeo colossea est, vt omnem, quam in rerum natura nouimus, longe excedat. Sic Mars, durus ille deus, (χαλκεος Αρης) qui a Diomede vulneratus tantum clamorem tollit, quantum nouies vel decies mille hominum solent, i) humi stratus septem iugera occupat. k) Neptunus quatuor passibus ab Ida ad Aegas peruenit, l) et Minerua, vt ad locum nostrum redeam, galeam gestat, quam milites centum vrbium subire possint. Venus quidem, inualida illa dea, quae de leuissimo vulnere grauissime

h) E. pluribus vnum modo locum, qui id probat, mihique nunc succurrit, laudabo, Odyss. ι' 212 et 213 coll. 217.

i) Iliad. ε', 860.

k) Iliad. φ', 407. Quod S. V. Herderus p. 180. contendit, Homerum non ausum esse, magnitudinem Martis erecti sed iacentis tantum describere, nimis argutum mihi videtur.

l) Iliad. ν', 20. Etiam hic mea sententia nimis longe petitum est, quod disputat Herderus pag 177.

ſime queritur, diſplicuiſſet ſane nobis, et riſum mouiſſet, ſi eam huiuſmodi galeam gerentem induxiſſet Homerus; ſed in Minerua, quae bello ac pugna, non artibus amatoriis gaudet, hanc ideam hyperbolicam tantum abeſt, vt cum Herdero ineptam atque puerilem credam, vt ea magno ingenio diuini poetae omnino digniſſima mihi videatur, quippe quae, id quod ſibi voluit ille, ſummam admirationem atque reuerentiam nobis incutiat. Attamen, vt ſemper, non noſtrae, ſed Homericae aetatis ratio habenda eſt, neque nimis ſubtiliter quaerere debemus, quo modo collocandi ſint milites, quando galea quaſi medimno eos metiri velimus. m) Quodſi ita faciamus, cum huius tum ſimilium locorum Homericorum pulchritudo ac ſublimitas peribit, admiratio noſtra tolletur, et quod modo adeo placuerit, ineptum atque ridiculum fiet.

Adnotatio III.

Iliad. Ζ', 234 - 236.

Ενθ' αυτε Γλαυκῳ Κρονιδης φρενας εξελετο Ζευς,
'Ος προς Τυδειδην Διομηδεα τευχε' αμειβε,
Χρυσεα χαλκειων, ἑκατομβοι' εννεαβοιων.

Duplex eſt huius loci explicandi modus. Primus hic: Tum Glauco Saturnius Iupiter adeo mentem abſtulit, h. e. eum adeo obcaecauit ſiue decepit, vt cum Tydide Diomede arma permutaret, aurea aeneis cet. Sequuntur hanc interpretatio-

 nem

m) Vid. Kritiſche Waelder, Waeldch, I. pag. 179.



nem b. Erneſtius, Illuſtriſſ. Com. de Stollberg. a) et S. V. Niemeyerus. Alii autem eam plane reprobant ſenſumque dicti, ab illa explicatione prorſus diuerſum ita conſtituunt: b) Iupiter Glauco mentem ita extulit, h. e. animum eius ea magnificentia ac ſublimitate impleuit, vt cum Diomede arma aurea aeneis permutaret, atque hac ratione, pretioſiora pro vilioribus amico tradens, ſummum amicitiae indicium ei praeberet. Sic locus explicatur, praeeuntibus Porphyrio et Euſtathio, a Dacieria, Popio, c) Riccio, d) Bodmero, e) Burgero; inter quos inprimis Riccius, dum priorem interpretationem tamquam frigidam atque ineptam reſpuit, pro hac acriter propugnat. Atque etiam ipſe Illuſtriſſ. de Stollberg, etſi alteram explicandi rationem *veriorem* putat, hanc tamen

a) Da bethoerete Kronos Sohn die Sinne des Glaukus
Stollberg.

b) *Φρενας εξελετο Ζευς, ὁ εστιν εξαιρετας εποιησεν, ὡς τῳ Πορφυριῳ δοκει, δια το τοιαυτην φιλοτιμιαν ενδειξασθαι και μη γλισχρευσασθαι περι την τα ξενα αξιωσιν.* *Euſtath.*

c) Brave Glaucus then each narrow thought reſign'd,
Iove warm'd his boſom and enlarg'd his mind. *Pope.*
Attamen in nota ad h. l. ait: "I have followed this interpretation of Porphyry, if not as the juſter, as the moſt heroic ſenſe and as it has the nobler air in poëtry.,,

d) A. M. *Riccii* diſſertationes Homericae ed. F. G. *Born.* Lipſ. CIↃIↃCCLXXXIV. pag. 283.

e) Damahls bewahrte Zevs den Glaukus vor kleinen Gedanken
Daſs er den Tauſch nicht verwarf. *Bodmer.*



tamen Porphyrianam adfirmat esse *elegantiorem*. Neque negari potest, priori sententiae aliquid inesse, quod nos, qui seculo magis exculto atque expolito vivimus, facile offendat. Diomedes enim, laetus, quod paternum hospitem cognouerit, Glaucum exhortatur, vt amicitiam, quam patres ipsorum coniugauerant, nunc etiam coram omnibus Graecis ac Troianis seruet, eamque armis permutatis propalam ostendat. Amicus igitur cum amico mutat arma. Quapropter durum omnino nobis videri potest, Homerum Glaucum deceptum atque obcaecatum vocare, quia aurea arma sua cum aeneis Diomedis mutauerit.

At repugnat *primum* interpretationi isti Porphyrianae vsus loquendi graecus. Nam in omnibus, quae sciam, locis, in quibus phrasis φρηνας εξελετο occurrit, certe apud Homerum, ea αφροσυνην quandam denotat, vertique debet, *mentem ademit*. Neque Riccius neque vllus alius ex iis, qui Porphyrio adstipulantur, exempla e scriptoribus veteribus laudauit, quae istam significationem, *mentem extulit*, comprobent.

Deinde verba φρενας εξελετο minus dura et inepta videbuntur vsum, qui illa aetate Homerica fuit, respicientibus. Quoties enim tum homo alias prudens contra commodum suum egerit, toties ex opinione antiquissimorum poetarum Graecorum vsu mentis a diis priuatus est.

Sic in alio loco Iliados f) iisdem verbis vtitur Alcimedon,

f) Iliad. ρ', 470.



don, dum Automedontem, equos Achillis, interfecto Patroclo, regentem, reprehendit, quod cum ſolus ſit in curru, aduerſus Troianos prima in acie pugnet:

— τις τοι νυ θεων νηκερδεα βȣλην
Εν ϛηθεσσιν εθηκε, και εξελετο φρενας εσθλας;

Similiter Agamemnon de ſe adfirmat, in contentione cum Achille mentem ſibi ademtam eſſe a Ioue:

— επει αασαμην, και μευ φρενας εξελετο Ζευς. g)

Heſiodus quoque phraſin illam eodem ſenſu vſurpat, cum Herculem inducit exprobrantem in Iphiclo fratre, quod Thebis relictis Euryſtheo ſeruiuerit:

— τȣ μεν φρενας εξελετο Ζευς,
Ὁς προλιπων σφετερον τε δομον σφετερȣς τε τοκηας,
Ωιχετο τιμησων αλιτημενον Ευρυσθηα. h)

Similem idemque valentem locutionem adhibet Homerus in deſcriptione ſummae potentiae Veneris, omnes mortales atque immortales ipſumque Iouem amore excitato vincentis:

Και τε παρεκ Ζηνος νοον ηγαγε τερπικεραυνȣ. i)

Quare nec noſtri loci verba nimis vrgenda, ſed ſic accipienda ſunt, vt ipſo vſu emollita nihil ſignificent; quam Glaucum armorum ſuorum iuſtum pretium neglexiſſe.

Ceterum quod ad ipſam armorum permutationem adtinet

g) Iliad. τ′ 137.
h) Heſiod. Scut. Hercul. 89.
i) Hymn. in Vener. 36.

net, notum est, morem fuisse inter veteres, vt in hospitii necessitudine contrahenda aut renouanda dona sibi inuicem darent. k) Quam consuetudinem oratio ipsius Diomedis testatur, qui Oeneum, auum suum, Bellerophonti, auo Glauci, balteum purpureum pro poculo aureo donasse commemorat. Itaque nullo modo in Diomedem suspicio cadere potest, quasi Glauci amicitiam idcirco solum optasset, vt aurea eius arma acciperet. Cupit permutationem armorum nulla alia de causa, quam vt signum sit recognitae renouataeque amicitiae paternae:

Τευχεα δ' αλληλοις επαμειψομεν, οφρα και οιδε
Γνωσιν, ότι ξεινοι πατρωιοι ευχομεθ' ειναι.

Adnotatio IIII.

ILIAD. Η' 117 - 119.

Ειπερ αδειης τ' εςι, και ει μοθȣ ες' ακορητος,
Φημι μιν ασπασιως γονυ καμψειν, αι κε φυγησι
Δηΐȣ εκ πολεμοιο και αινης δηϊοτητος.

Non satis liquet, ad quem referenda sint haec verba, vtrum ad Hectorem, an ad pugnatorem siue heroem illum, quem Agamemnon confidit excitatum iri ab Achiuis, vt pugnam singularem cum Hectore ineat. In sententiam priorem propendet Clarkius; posterior contra explicandi ratio

 cete-

k) Vid. *Potter's* Griechische Archaeologie. uebers. von *Rambach.* p. II. pag. 731.



ceteris fere omnibus interpretibus placet, Eustathio, Popio, a) Ven. Niemeyero, aliis. Atque rectius hi sentire videntur. Σκοπος enim in tota oratione Agamemnoni vnus idemque est hic, vt fortitudinem Hectoris tamquam eximiam et propemodum inuictam depingat, adeoque Menelaum a consilio cum eo dimicandi deducat atque deterreat. Quamobrem recordari eum iubet, non solum alios heroes Achiuorum Hectorem extimescere, sed ipsum fortissimum Achillem nequaquam sine vllo horrore manum cum illo conserere solere. Desiste ergo, pergit, tu, qui viribus multo inferior es, ab incepto parum considerato. Nam excitabunt quidem Danai alium, qui certamen efflagitatum ineat; quisquis autem erit ille, nunquam tamen eum eiusmodi pugnam denuo appetiturum esse credo, si re feliciter gesta saluus atque incolumis semel e manibus Hectoris effugerit.

Quod vero Clarkius dicit, Menelaum non modo deterrendum fuisse de isto iniquo certamine, sed etiam in spem inducendum, extiturum aliquem, qui victoriam de Hectore reportaret, hoc consilio poetae in oratione illa Agamemnonis minus conuenire videtur. Spem quidem omnino facit Agamemnon fratri, fore, vt aliquis Achiuorum Hectori se opponat, sed de hoc v. 116 tantummodo loquitur. Bodmerus

a) The mightiest warrior of th' Achaian name,
Tho' bold and burning with desire of fame,
Content, the doubtful honour might foregoe.
So great the danger, and so brave the foe. *Pope.*

rus b) et Illuſtriſſ. Com. de Stollberg c) in verſionibus teutonicis locum aeque dubium reliquerunt, ac in textu graeco eſt.

Phraſin γουυ καμπτειν interpretes quidam, vt Barneſius et Bodmerus, perperam de ſubmiſſione et ſupplicatione capiunt, ita vt ſenſus ſit: Submiſſe ſane et flexis genibus diis gratias aget, qui cet. Praeferenda omnino eſt explicatio Porphyrii, qui το γουυ καμπτειν idem valere dicit, quod καϑεζεσϑαι ſiue αναπαυεσϑαι. d) Sic accipiunt etiam locutionem Euſtathius, Pſeudodidymus et recentiorum fere omnes. Occurrit ea quoque eodem ſenſu Iliad. τ', 72., nec minus paſſim obuia eſt apud alios poetas, e. g. apud Apollonium Rhodium: e)

 Ημος

b) Leicht wird einer gefunden, dem Hector entgegenzuſtellen,
Iſt er gleich ſtarck und fertig zum Schlagen, ſo mag er den Goettern
Danken, wenn er im Kampfe nicht faellt. --- *Bodmer.*

c) Dieſem werden wir einen andern Kaempfer erkieſen,
Furchtlos ſey er, und unerſaettlich ſey er des Kampfes;
Dennoch wird er der Ruhe ſich freuen, ſo er entrinnet
Aus dem feindlichen Kampf, aus dieſem grimmen Gefechte.
Stollberg.

d) Οἱ φευγοντες τεταμενον εχεσι το γονυ, οἱ δε καϑημενοι κεκαμμενον· ασπασιως εν, φησι, καϑεδειται των φευγοντων τις εκ τε πολεμε. ὁς και αναπαυσει ἑαυτον, και τα σκελη, εκ τε συντονε της φυγης δρομε καϑισας. *Porphyr.* quaeſt. Homeric. 22. Επι αναπαυσεως λεγεται. *Euſtath.* Conf. etiam *Heſych.*

e) Argonaut. I, 1172-1174.



Ημος δ' αγροθεν εισι Φυτοσκαφος, η τις αροτρευς
Ασπασιως εις αυλιν έην, δορποιο χατιζων',
Αυτȣ δ' εν προμολη τετρυμενα γȣνατ' εκαμψεν

Similiter Oceanus apud Aeschylum de equo suo dicit:

---- ασμενος δε τ' αν
Σταθμοις εν οικειοισι καμψειεν γονυ. f)

Verba denique, *αι κε Φυγησι δηϊȣ εκ πολεμοιο* explicat Popius non, *si effugerit ex pugna*, sed, *si effugerit* siue *euitauerit pugnam*, ita vt non coactus sit, eam inire. g) Male. Si enim hoc sibi voluisset poeta, dicendum fuisset *αι κε Φυγησι πολεμον*, non *εκ πολεμοιο*. Sermo omnino est de milite, qui iam adfuit in proelio, non qui illud euitauit.

ADNOTATIO V.

ILIAD. Ι', 378.

— Τιω δε μιν εν καρος αισῃ.

Valde torsit hic locus interpretes Homeri, et sane in posterum quoque torquebit. Liquet, sermonem esse de re aliqua admodum friuola atque contemtibili, sed quaenam ista sit, h. e., quid significet vox *καρος*, multum inter eruditos dispu-

f) Prometh. vinct. 395, cf. v. 32. vbi vid. Cl. Schuetzium.

g) *The words αι κε Φυγησι δηϊȣ εκ πολεμοιο, signify not to escape out of the combate (as translators take it) but to avoid entring into it.*



putatum eſt. Fuere teſte Euſtathio, qui το εν καρος vno verbo legendum eſſe contenderent εγκαρος ab εγκαρ i. q. εγκεφαλος, cerebrum, quia ſcilicet Athenienſes cerebro edendo abſtinerent. Sed, quamquam iam Plutarchus in hanc ſententiam diſceſſit, a) merito tamen, vt mihi videtur, Clarkius ei repugnat. Neque probanda eſt ſententia eorum, qui vocabulum εγκαρ de pediculo capiunt. b) Etſi enim, vt ſupra iam dictum eſt, decorum hominum ſeculi noſtri ad illam minus expolitam aetatem Homeri, nedum Graecorum tempore belli Troiani degentium omnino non debet transferri; eiusmodi tamen comparationem haud ſatis venuſtam, elegantiaeque Homericae indignam exiſtimo. Accedit huc, quod vocabulum εγκαρ alibi non occurrit, ſed cum duabus iſtis ſignificationibus et cerebri et pediculi auctoritate tantum grammaticorum recentiorum nititur, qui ad explicandum locum noſtrum id finxiſſe videntur e praepoſitione εν et καρα ſiue καρ, ita vt εγκαρ ſit illud, quod eſt in capite. Verum ſic etiam crines fortaſſe εγκαρ nominari poſſent, cum quibus noſtrates patrio ſermone rem nullius pretii comparare ſolent. c)

a) Και ὁ Πλυταρχος ἱϛορων και αυτος εν συμποσιακοις, ὁτι εσε εγκεφαλον ελ ησθιον οἱ παλαιοι, δια τυτο ειπεν Ὁμηρος, τιω δε μιν εγκαρος αισῃ. *Euſtath.* Mox addit: Ιϛεον δε, ὡς ει και περι τυ ζωϊκυ εγκεφαλυ εδηλωθη τα ῥηθεντα, ὁμως διος εγκεφαλος ην κατα Παυσανιαν, καλλιϛον τι βρωμα.

b) Τιμω αυτον εν μοιρᾳ καρος (l. εγκαρος) ὁ εϛι φθειρος τυ περι την κεφαλην, τυτεϛι τυ μηδενος τιμωμαι αυτον. *Euſtath.*

c) Sic etiam Latini. Cic. ad Quint. Fr. II. 15: *Ego ne pilo quidem minus me amabo.*



Alii porro, quos Euſtathius ακριβεϛερȣς vocat, το καρος pro κηρος a κηρ, i. q. θανατος, dictum putant, ſenſumque eſſe eundem cum v. 312, vbi Achilles de Agamemnone ita loquitur:

Εχθρος γαρ μοι κεινος, όμως αιδαο πυλησιν. d)

Probabilior fortaſſis haec interpretatio. At eam quoque Clarkius reſpuit, quia, etiamſi ſyſtole iſta concederetur, το α in καρος nullo modo corripi potuiſſe opinatur.

Vltima denique explicandi via verba τιω μιν εν καρος αιση de Caribus accipiuntur. Veriſimillima haec mihi videtur, quamquam minime diffiteor, in ea quoque difficultates haud leues exoriri.

Notum eſt, Cares omnium primos fuiſſe, qui pro mercede militarunt; quare apud veteres in tanto contemtu fuerunt, vt vel in conſuetudinem prouerbii venerint. e) Hinc explicant nonnulli apud Euſtathium το τιω μιν εν καρος αιση, αντι τȣ, εν μισθοφορȣ τιθεμαι ταξει, και ισον αυτον εχω Καρι ανδρι. Sed monet Clarkius contra hanc explicationem, *primum*, quod Cares Homeri temporibus haud demonſtrati ſint μισθοφορησαντες; f) atque fateor, in dubium omnino voca-

d) Οἱ δε ακριβεϛεροι το καρος αντι τȣ κηρος και θανατȣ φασι, συϛολη τȣ η εις α. *Euſtath.* --- Erneſtius illam collationem amborum locorum Scholiaſtae Lipſ. tribuere videtur, ſed exſtat etiam apud Euſtathium.

e) Εν Καρι κινδυνος. Huic adludit Cicero pro Flacco, 27.

f) Iam olim nonnulli illud monuerunt teſte Euſtathio. Και μην, ὡς



vocari posse, an origo facti istius ad poetae nostri aetatem iam pertineat. Fortassis vero alia de causa Agamemnonem cum Care Achilles comparat. Reprehendit nempe Homerus g) Amphimachum, ducem Carium, quod, tamquam mulier, auro se exornauerit. Quid, si plures gentis illius molles ac luxui deditos putemus, cum Cares antiquissimis temporibus piraticam valde exercuisse, indeque magnas diuitias acquisisse constet? h) Spernat igitur Achilles dona Agamemnonis, vt hominis, Amphimacho aliisque Caribus mollitie haud dissimilis, id quod cum obiurgationibus Pelidae in Atriden acerbissimis, initio Iliados ab Homero memoratis i) non male congruere arbitror.

At *praeterea* metrum quoque impedit, vt Clarkius existimat, quo minus probabilis sit illa explicatio. Primam nempe in voce *καρος* corripi potuisse plane negat criticus acutissimus, quia in duobus aliis locis, vbi Homerus Carium mentionem fecit, k) pariterque apud ceteros poetas graecos ea sem-

ὡς φησιν Απιων, ου καλως αν ὁ Αγαμεμνων καρι εοικεναι λεγοιτο, αλλα μαλλον ὁ Αχιλλευς, ὁ προς ὑποσχεσεις μαχομενος· (at sine respectu originis contemtus istius cum Care, h. e. homine despectissimo Agamemnonem comparare potuit Achilles) *και αλλως δε, ει και εμισθοφορησαν οἱ Καρες, αλλ' ουκ επι των Τρωϊκων, ουδε προ του Ὁμηρου.*

g) Iliad. β', 872.

h) Thucyd. hist. I, 8.

i) Iliad. α', 225. ff. coll. ι', 348.

k) Iliad. β', 867. κ', 428.

 

ſemper producta legatur. Memorat quidem ipſe verſum hunc Theocriteum:

Σημαινει, Λυκιοις τε Φιλοπτολεμοις τε Καρεσσι. l)

ſed ex illo noſtrum locum poſſe illuſtrari negat; nam ſtatuit, Homerum doricam iſtam loquendi rationem prorſus ignoraſſe. Cui ſententiae, licet illi vſus loquendi Homericus plerumque faueat, tamen ſine vlla exceptione ſubſcribere dubitauerim. Negari quidem nequit, Homerum quantitatem ſyllabarum non temere immutaſſe, ſed quoniam in aliis rebus grammaticis, formis puto declinationum et coniugationum dialectum doricam, poſtea demum ſic dictam, nonnunquam adhibuit, m) quidni etiam in hac re metrica doricam loquendi rationem vſurpare potuerit?

Verumtamen Barneſius in illo loco Theocriti pro *Φιλοπτολεμοις τε Καρεσσι* legendum contendit *Φιλοπτολεμοισι τε Καρσι*, neſcio, vtrum auctoritate codd. MSS., an ex mera coniectura, ex eo ipſo, quod prima in *Καρες* produci ſolet, ducta. Adſentiunt ei Valckenarius et Brunckius V. C. qui eandem ob cauſam, ſuffragantibus quatuor codd. MSS., in verſu Ariſtophanis hoc:

O και

l) Theocrit. Idyll. XVII, 89.

m) Hinc Dio Chryſoſt. orat. XI: *Εξον Ὁμηρῳ τας αλλας γλωττας μιγνυειν τας των Ἑλληνων, και ποτε μεν Αιολιζειν, ποτε δε Δωριζειν, ποτε δε Ιαζειν.* --- Tempore Homeri dialectos nondum diſtinctas fuiſſe, vt poſtea, a doctis quibuſdam viris noſtra aetate ſatis luculenter demonſtratum eſt.

Ω παι Καϱιων τα ϛϱωματ' εκφεϱειν εχϱην n)
το ω deleuit.

Atque conſtaret etiam in loco noſtro Homerico quantitas vſitata vocis Καϱος, ſi verſus ita legeretur:

Εχθϱα δε μοι τȣ δωϱα· τιω μιν Καϱος εν αιϛη

Verum libenter fateor, hanc mutationem mihi ipſi iuſto audaciorem videri, cum quia antiquitas lectionis ac conſenſus codd. MStorum vniuerſus obſtat, tum quia etiam euphonia, quae particulam δε poſt τιω requirit, aliter ſuadet.

Ceterum Clarkio id veriſimillimum eſt, vocem Καϱος eandem originem habere atque ακαϱι et ακαϱης. Erneſtius rem plane intactam reliquit, hoc tantummodo iudicans, quod omnino dubitari nequit, aliquid contemtibile iſta locutione ſignificari debere. Similiter Bodmerus et Illuſtriſſ. de Stollberg in verſionibus teuton. ſenſum modo, non verba reddiderunt; Popius contra locum de Caribus intellexit. o)

Adnotatio VI.

ILIAD. Π', 499 et 500.

Εσσομαι ηματα παντα διαμπεϱες, εικε μ' Αχαιοι
Τευχεα συλησωσι, νεων εν αγωνι πεσοντα.

Plerique ante Dacieriam et Clarkium auctoritatem Euſtathii

D

n) Ariſtophan. Plut. 624.

o) ---- Kings of ſuch a kind
Stand but as Slaves before a noble mind. *Pope.*



ſtathii nimis religioſe ſecuti a) haec verba ita ſumſerunt, quaſi Sarpedon moribundus neque amplius mentis compos medias inter naues Graecorum a Patroclo ſe interfectum putaſſet, quamuis iam longe a nauibus abſuiſſet. Verum quid ineptius? Meritus ſane eſſet Homerus vituperationem Terraſſoni, Zoili iſtius francogallici, b) ſi illud ſibi voluiſſet, quod Euſtathius ſomniat. At plane non voluit, et abſit, tales ineptias de ingenio ſummi poetae ſuſpicari.

Itaque vt locum noſtrum explicatione iſta non ſolum contorta, ſed etiam ridicula ac puerili liberarent, Dacieria et Clarkius aliam interpretandi rationem, eamque omnino probabiliorem, ſecuti ſunt, quae verba νεων εν αγωνι πεσοντα non explicat per: *medias inter naues*, ſed, *in certamine de nauibus, ſtratum.* Adſenſi ſunt his Bodmerus c) et Illuſtriſſ. de Stolſ-

a) Το δε, νεων εν αγωνι πεσοντα, μιμητικως εψευσαι· εξω μεν γαρ της ταφρε, και εν τη πεδιαδι πιπτει, και εκ εν τῳ αθροισματι και τη αγορᾳ των νεων. Ὁ δε ηδη τεταραγμενος το φρονειν, αλλως λεγει· ηδη γαρ προς τῳ θνησκειν ειη. *Euſtath.*

b) Les commentateurs ont dit là deſſus, que Sarpedon rêvoit, étant à l' article de la mort. -- Ainſi, Homére n' a point d' autre raiſon pour faire dire à Sarpedon, qu' il meurt au milieu des vaiſſeaux, quoiqu' il fut bien loin de là, ſi non que c' eſt un vers tout fait, une formule employée au 15e livre, au ſujet de Caletor tué effectivement au milieu des vaiſſeaux. *Diſſertat. ſur l' Iliade, Part. IV. chap. 6.*

c) — Du mueſsteſt dich ewige Tage

Schae-

Stollberg. d) Diſſenſit Erneſtius, aliam amplexus lectionem cod. Ms. Lipſ., qui pro νεων habet νέων. Νεες autem h. l. dici putat milites, quos Homerus nonnunquam etiam αιζηες nominat, ſicuti Latini eodem ſenſu vtuntur vocabulis, *iuuenes* et *puberes*. Cum Erneſtio facit Niemeyerus V. C., cui haec ratio adeo probatur, vt per eam longis et argutis diſputationibus ſuperſedere potuiſſe interpretes iudicet. Enimuero mihi quidem minus adridet illa ſententia, non quod dubitem, verba νεων εν αγωνι illam ſignificationem admittere plane non poſſe, ſed quia Homerus vnum idemque verbum modo hoc, modo alio ſenſu adhibere non ſolet. Occurrit nempe totus ille verſus, τευχεα συλησωσι, νεων εν αγωνι πεσοντα, iam Il. ο΄, 428., vbi nec quidquam immutat Ms. Lipſ., ſilet certe Erneſtius, nec, ſi daret varietatem lectionis, ea probanda eſſet, in primis propter v. 423. lib. eiusd., in quo νεως προπαροιθε idem videtur, quod νεων εν αγωνι v. 428

Sed et Iliad. π΄, 239 Homerus illam dictionem νεων εν αγωνι vſurpauit, ibique nihil aliud ſignificare poteſt, quam

Schaemen, wenn mir der Grieche den Kueras naehm' und die Waffen,
Da er mir in dem Streit um die Schiffe das Leben verkuerzte.
Bodmer.

d) Denn ich wuerde mit Schmach hinfort dein Angeſicht decken
Alle kuenftigen Tage, wofern mich einer der Griechen
Hier, im Kampfe fuer ihre Schiffe, der Rueſtung beraubte.
Stollberg.



επι αϑροισματι νεων siue επι νηυσι, apud naues. Precatur Achilles Iouem, vt victoriam praebeat Patroclo, quem in proelium contra Troianos mittere parat; ipse in proposito perseuerat, nondum redeundi ad ceteros Graecos, sed apud naues manendi:

Αυτος μεν γαρ εγω μενεω νηων εν αγωνι.

Atque sic etiam accipio phrasin et Il. ο', 428 et π', 500. Verum vtrobique, praesertim loco nostro, non verti debet, *medias inter naues*, sed *apud naues* siue *stationem nauium*, h. e. non procul ab iis, in earum vicinitate. Praepositionem εν et apud Homerum et apud alios poetas graecos saepissime per, *ad* siue *apud* explicandam esse nemo ignorat. Pugnam autem inter Patroclum et Sarpedonem non adeo procul fuisse a nauibus, etsi non medias inter eas, sed in campo aperto, patet ex versibus 394-398, qui multos Troianos Troiam refugere cupientes, cum ad naues repulsi essent, inter has flumenque Scamandrum atque Troiam a Patroclo interfectos esse docent; quem ad locum parum respexisse videntur interpretes.

Adnotatio VII.

ODYSS. Β', 132 et 133.

--- Κακον δε με πολλ' αποτινειν
Ικαριῳ αικ' αυτος έκων απο μητερα πεμψω.

Hi versus, notantibus Eustathio et Pseudodidymo, duplici



plici ratione interpungi atque explicari possunt, *vel* ita, vt post verbum *αποτινειν* comma ponatur, et sensus sit: Durum et difficile mihi esset, graues dare poenas, si matrem meam Icario remitterem; *vel* hoc modo, vt comma scribatur post Ικαριῳ, et verbum *αποτινειν* cum hoc nomine coniungatur; vnde hic sensus prodit: Res sane dura et difficilis mihi esset, Icario reddere magnas opes, dotem Penelopes, si dimitterem matrem meam. a) Hanc posteriorem interpretationem plerique recentiorum b) post Dacieriam secuti sunt; illam priorem, teste Eustathio, veteres praetulerunt, quippe qui Telemachum *μικρολογον* h. e. hominem sordidum se ostendisse putabant, si de dote Penelopes Icario reddenda dixisset. c)

 Atque

a) *Κατ' ενια των ὑπομνηματων ἡ τετων εξηγησις ἡμαρτηται. Φασι γαρ ὡς εθος, ει τις ἑκων εξ οικε γυναικα απεπεμψε, χρηματα αποτινειν τοις αυτης συγγενεσι και τῳ πατρι. Φησιν ουν, ὁτι κακον εστι και ἑιον αλυσιτελες, ει εκδιωξω των οικων την μητερα· πολλα γαρ αποτισω τῳ Ικαριῳ.* *Schol.*

b) *Bodmerus* vertit:

--- --- kann ich die Morgengab' ihr ersetzen,
Die ich ihr schuldig bin, wenn ich sie verstosse.

Vossius, V. C.:

--- Schwer wuerde mir auch des Gutes Erstattung
An Ikarios seyn, verstiess' ich selber die Mutter.

c) Hoc testatur *Eustathius:* Το δε, inquit, *ευλαβεισθαι πολλα αποτινειν Ικαριῳ, σμικρολογιας αιτιαμα φασιν οἱ Παλαιοι τῳ Τηλεμαχῳ* προς-



Atque negari nequit, vtramque explicandi rationem aptum ſenſum exhibere; probabilior tamen mihi videtur ſententia veterum. Nam primum iam ex ipſa vetuſtate haec interpretatio commendationem quandam accipit. Etſi enim in rebus, quae ad artem criticam pertinent, cum, quid rectum atque maxime conſentaneum ſit, quaerimus, reuerentia aduerſus veteres non adeo nos obcaecare debet, vt eos ſolos nimium religioſi ſequamur; ſaepius tamen iudicium eorum minime eſt contemnendum. Deinde conuenientiſſima quoque eſt haec explicatio, mea quidem opinione, ad verſus proxime ſequentes: Εκ γαρ τȣ πατρος cet. In his plenius exponitur, quod per το, πολλ' αποτινειν in vniuerſum erat expreſſum. Grauiſſima in mala inciderem, ait Telemachus, ſi matrem Icario remitterem. Vlciſceretur enim improbitatem meam primum ille ipſe Icarius, pater Penelopes; d) tum Furiae

προσαπτειν. Διο και θελȣσιν οἱ τοιȣτοι ϛιζαν τελειαν εν τῳ, πολλ' αποτινειν' και νοȣσιν αυτο ȣκ επι χρηματων, αλλ' επι της θεοθεν ποινης. --- Ἱνα λεγῃ, ὁτι κακον δε με πολλ' αποτινειν, ὁ εϛι θεοθεν ποινηλατεισθαι, εαν αυτος ἑκων τῳ Ικαριῳ αποπεμψω αεκȣσαν την μητερα. Eodem fere modo *Scholiaſtes*, qui et ipſe veteribus adſentit: Αμαινον δε, ait, ȣτω διατελλειν, Κακον δε με πολλ' αποτινειν. Και ȣ περι χρηματων φησιν, αλλα περι των επαγομενων, (V. 134.) Εκ γαρ τȣ πατρος κακα πεισομαι, αλλα δε δαιμων Δωσει. Ειτα καθ' ὑπερβατον, αιπερ αυτος Ικαριῳ αποπεμψω την μητερα' επει, ει περι χρηματων ελεγε, σμικρολογος αν εφαινετο.

d) Intelligo cum Cl. Voſſio illud, εκ τȣ πατρος, de patre Penelopes

Furiae etiam, a diis immissae atque incitatae agitarent me ac perterrerent; postremo, omnes homines mihi maledicerent, meque auersarentur.

At audiendi quoque sunt recentiores, qui alteram explicationem secuti illam veterum sententiam oppugnarunt. Inter hos prae ceteris potissimum nominandus est Clarkius, cuius solius argumenta, quibus opinionem suam confirmare studuit, hic retulisse suffecerit. Primum multo simpliciori, et faciliori constructione referri putat istud Ικαριῳ ad αποτινειν, quam ad αποπεμψω; procul dubio propter interiectum illud αικε. At quamquam Homerum simplicitatem facilitatemque orationis magnopere curasse omnino fatendum est; in poetis tamen legendis, cum aliae res ita suadent, interdum constructio aliquantulum difficilior non modo non vituperanda est, sed etiam praeferenda. Tum, melius congruere etiam opinatur Clarkius ipsius vocis αποτινειν significationem cum illa, quam ipse amplectitur, explicatione; quod ego quidem non video; nam αποτινειν significat omnino poenas luere cuiuslibet generis. Vid. e. c. Iliad. ί, 508.

pes, non de Vlysse, vt placet Bodmero; nam ignorabat Telemachus, vtrum viveret Vlysses, an mortuus esset.

  

Quo

Quo amplior et magis varia ſit diſputationis materia, repetimus

M. FAB. QVINCTILIANI

prudentiſſimi inſtitutionis puerilis viri propoſitiones has:

(*Ex Inſtit. Orat. Lib. I. Cap. II.*)

I. *Ingenii ſignum in paruis praecipuum memoria eſt; — proximum imitatio.*

II. *Non dabit mihi ſpem bonae indolis, qui hoc imitandi ſtudio petet, vt rideatur.*

III. *Probus puer, quae tradentur, non difficulter accipiet; quaedam interrogabit; ſequetur tamen magis, quam praecurret. Illud ingeniorum velut praecox genus non temere vmquam peruenit ad frugem.* — Specimina, quae edit, *placent annis comparata, deinde ſtat profectus, admiratio decreſcit.*

IIII. *Detur mihi ille puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat.*

V. *Nec me offenderit luſus in pueris; eſt et hoc ſignum alacritatis. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles luſus, quum poſitis inuicem cuiusque generis quaeſtiunculis, aemulantur. Mores quoque ſe inter ludendum ſimplicius detegunt.*

VI. *Caedi vero diſcentes, quamquam receptum ſit, minime velim.*

